



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 133. An lex aliqua obliget ad aliquid moraliter impossibile.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42634

V. Qui obligatur visitare limina Apostolorum
 Romæ, & scit se eò pervenire non posse, non tenetur ingredi iter; quia nec finis, nec ratio præcepti
 salvatur. *Ib. & Suar. Azor. Bon. l. c.*

A D D E N D A.

779 Q. 132. *Quid circa hæc declaravit Innoc. XI. R.*
 damnavit hanc 54. prop. *Qui non potest recitare matutinum & laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem*: hac damnatione declaravit obligationem legendi horas, quas quis potest legere, licet non possit omnes.

780 Q. 133. *An lex aliqua obliget ad aliquid moraliter impossibile. R.*

§. I. Illud hîc dicitur moraliter impossibile, quod ita est difficile, ut spectatâ conditione vel infirmitate subditi non videatur impleri posse, quamvis absolute non excedat vires ipsius: & quòd legem naturalem attinet, certum est hanc obligare ad aliquid moraliter impossibile, nam damnati lege naturali obligantur non blasphemare, ideoque peccant blasphemando, quamvis moraliter impossibile sit illis non blasphemare: similiter lege naturali tenemur potius eligere mortem, quàm ullum peccatum, licet eligere mortem sit moraliter impossibile: Similiter in statu puræ naturæ fuisset obligatio amandi Deum super omnia, licet hoc sine gratia sit moraliter impossibile: *Nec obstat*, quòd nulla lex possit me obligare, ut singulis jactibus alearum projiciam numerum imparem, licet hoc sit physice possibile, nam disparitas est, quòd executio potentie physice ad projiciendum numerum semper imparem non debeat nec possit provenire à mea libertate, sed pendeat merè à casu,
 è contrâ

è contrà executio potentia physica ad non peccandum vel ad amandum Deum debeat & spectatis viribus absolute possit provenire à nostra libertate.

§. II. Etiam leges positivæ quandoque obligant ad aliquid moraliter impossibile, v. g. militem ad perditas vigilias aut ad periculosissimum assultum & idem est in omni casu, quo bonum commune præponderat privato, vel adest alia gravissima causa: extratales autem circumstantias Deus non obligat ad aliquid moraliter impossibile, neque Deus aut Respublica dedit potestatem hominibus sic obligandi, talis enim lex non esset prudens, nec utilis, sed noxia, quia sine sufficiente causa exponeret subditos certis periculis peccandi, ideoque præsumitur non fuisse mentem legislatoris pro tali casu obligare; sic dicimus non esse mentem Ecclesie obligare ad jejuniū vel Missam cum gravi dispendio valetudinis vel etiam fortunarum. Addit *Arr.*, si lex humana obliget ad hoc ipsum, ad quod obligat lex naturalis, v. g. si præceptum obedientia me obliget ad castitatem lege naturali præscriptam, me non peccaturum contra præceptum humanum obedientia, si castitatem violarem ob metum mortis. Videri potest *Suar.* de leg. l. 1. c. 30. Item *Tevil.* in Reg. q. 58. ubi Assert. 7. & 8. rectè dicit periculosum esse determinare, quanta difficultas excuset à lege, optimam autem regulam esse iudicium ac consensum prudentum.

Q. 134 Quando & quomodo peccet, qui se vendit impotentem, vel ponit impedimentum, vel quaerit exemptionem à lege. R. Hanc quaestionem omnes dicunt esse difficillimam in praxi, & de ea fuse agit *Gob.* in *Quin. T.* §. c. 10. & 27. toto, ex quo & aliis aliqua referam:

§. I. Qui ad legem obligatur, hoc ipso obligatur ad procuranda media ordinaria & ex natura rei proxime